



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. VIII. An objecta seu mysteria fidei Christianæ sint evidenter credibilia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

quoniam enim de ratione beatitudinis perfectæ & consummatæ, qualis est beatitudo patriæ, sit evidentia perpetuitatis ipsius, necesse est quemlibet beatum in divina essentia, cuius visio est tota beatitudo, videre perpetuitatem suæ gloriæ. Quantum verò ad futura contingentia, dicunt aliqui quod cum omnis obscuritas statum beatitudinis dedecet, Deus revelat extra visionem divinæ essentia cuilibet beato futura contingentia, ad ipsius statum pertinentia, revelat, inquam, illa per impressionem clari luminis ea in seipsis manifestantis. Sed dato quod sine evidentia in seipsis revelentur à Deo in statu beatitudinis, nego quod propter ea beati, etiam stando in nostra doctrina, fidem de illis habeant: cum enim videant objectum primum suum nostræ fidei, nempe Deum ut Unum & Trinum, in seipso, subindeque ipsum non credant, nequeunt retinere fidem circa objectum secundaria fidei, qualia sunt futura contingentia, quamvis obscure cognita: sicut ex eo quod objectum primum spei possideant, nempe beatitudinem animarum, non retinent spem circa objectum ejus secundarium, videlicet circa beatitudinem corporis, licet nondum eam possideant.

222 Ex dictis hæcenus in resolutione præsentis difficultatis collige, evidenter cognoscetes Deum revelare mysteria nostræ fidei, in hoc differre à cæteris fidelibus, qui hanc evidentiam non habent, quod isti habent fidem, non solum de mysteriis revelatis, sed etiam de eorum revelatione, illi verò solum de mysteriis revelatis.

ARTICULUS VIII.

An objecta seu mysteria fidei Christianæ sint evidenter credibilia?

223 **O**ccasione desumpta ex doctrina D. Thomæ hic art. 4. ad 2. & ad 3. ubi docet mysteria fidei in generali, & sub ratione credibilis, videri ab eo qui credit, disputant Theologi in præsentem, an mysteria nostræ fidei sint evidenter credibilia, id est, an homo habeat certam & evidentem cognitionem de credibilitate mysteriorum nostræ fidei. Pro cuius resolutione, fit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, mysteria fidei Christianæ esse evidenter credibilia. Ita Divus Thomas loco citato, & 1. contra Gentes cap. 6. & Theologi communiter.

224 **P**robatum primò ex illo Psal. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: per testimonia enim, ea quæ Deus testificatus est, qualia sunt mysteria fidei, intelligi possunt, quæ, ut exponit Lyranus, Credibilia facta sunt nimis, id est magis quam prima principia scientiarum, ac proinde evidenter. Unde Augustinus 7. confess. cap. 10. Facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quæ audio.

225 **P**robatum secundò conclusio ratione generali. Sine aliqua evidentia nihil est cognoscibile per iudicium determinatum; nam quod penitus obscurum est, illud est penitus incognoscibile. Ergo sicut sine evidentia scibilitatis nihil est scibile, & sine evidentia probabilitatis nihil est opinabile; ita sine evidentia credibilitatis nihil est credibile. Nec dici potest, voluntatem pro sua libertate

A posse credere, ut voluerit: voluntas enim non potest movere intellectum extra suum objectum, neque ipsa facit objectum, sed supponit; unde non potest movere aut applicare intellectum, ut credat, nisi id quod apparet credibile.

Probatum tertio: Illud est evidenter credibile, quod idoneis testibus, & validissimis argumentis probatur: Sed mysteria nostræ fidei sunt huiusmodi: Ergo evidenter credibilia sunt. Major patet: credibilitas enim non sumitur, sicut veritas, ex connexione intrinseca quæ reperitur inter prædicatum & subiectum, sed ab extrinseco dicenti testimonio, & ab aliis fundamentis & motivis extrinsecis. Minor verò suadetur: nam mysteria nostræ fidei enarravit Unigenitus, qui est in sima Patris (qui Apocal. 1. Testis fidelis, appellatur, & Joan 8. de seipso dicit: Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati) Propheta prædicaverunt, Martyres testati sunt, Confessoresque doctissimi & sanctissimi docuerunt. Validissimi etiam probantur argumentis, sumptis ex prædicatione ipsorum per oracula Prophetarum; ex miraculis, quæ in illorum confirmationem facta sunt, Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, ut dicitur ad Hebræos 2. ex conversione mundi ad fidem Christi; ex modo mirabili quo fides Christiana in mundum introducta, propagata, & conservata fuit; & aliis argumentis digressionem sequenti exponendis, quæ breviter insinuat Augustinus libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. ubi ait: Multa sunt quæ in Ecclesia me iustissime tenent, consensus populorum & gentium, autoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & veritate nutrita. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus mandavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum. Tenet denique ipsum Catholicum nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes heretici se Catholicos dici velint, quærent tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hereticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Similia credibilitatis motiva indicat Picus Mirandulanus Epistola 1. dicens: Magna infamia est, Evangelio non credere, cuius veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolica resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Damones consentunt. Sed longe maior infamia est, de veritate Evangelii non dubitare; viveret tamen, quasi de eius falsitate non dubitaret.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Objicies primò: Si mysteria Christianæ Religionis essent evidenter credibilia, vel essent evidenter credibilia fidei divinæ, vel fidei tantum humanæ? Neutrum dici potest: Ergo non sunt evidenter credibilia. Minor quoad secundam partem videtur certa, quidquid in contrarium dicat Vazquez: Si enim mysteria nostræ fidei essent evidenter credibilia fidei tantum humanæ, non posset homo prudenter eis majorem fidem quam humanam adhibere, utpote cum non sit major fides rebus adhibenda, quam ea quæ videntur esse credibiles. Probatum verò quantum ad primam: Primò quia cum esse credibile fidei divinæ, sit denominatio desumpta à fide divina, tanquam à forma extrinseca, & ef-

& effectus formalis non possit evidenter cog-
noscere, absque eo quod forma ipsa eodem modo
cognoscatur; ut quis evidenter iudicet mysteria
Christiane Religionis esse credibilia fide divina,
necesse est quod evidenter iudicet talem fidem
esse possibilem: Sed hoc non est possibile, nisi
per visionem beatificam, vel per evidentiam di-
vinæ revelationis extra verbum: Ergo non sunt
evidenter credibilia fide divina. Secundo, cum
illa tantum sit credibile fide divina, quod in se-
ipso est verum, si mysteria nostræ fidei essent e-
videnter credibilia fide divina, existerent etiam
evidenter credibilia vera, etiam in seipsis.

B

Respondeo mysteria Christianæ Religionis
esse evidenter credibilia fide divina, sed in com-
muni duntaxat, prout est superior ad finem hu-
manum, non vero in particulari, quatenus est
participatio formalis divini intellectus a Deo in-
fusa: dari enim fidem divinam hoc modo parti-
culari consideratam, non est evidenter cognos-
cibile extra visionem divinæ essentiae, vel extra
visionem divinæ de ipsa revelationis: cum hoc
tamen stat, quod sic ratio naturalis evidenter
demonstrat Deum ut Authorem supernatura-
lem in communi, hoc est, ut potentem aliquid
producere quod sit supra totam naturam, non
determinando quid sit illud in particulari; ita ar-
gumenta extrinseca, quibus nostra mysteria de-
monstrantur credibilia, possunt evidenter osten-
dere possibilem esse fidem divinam sive super-
naturalem in communi, non determinando præ-
dicata specialia talis fidei: & per hoc patet ad
primam probationem Minoris.

Ad secundam vero, nego sequelam: quamvis
enim nihil sit credibile fide divina, sive dignum
tali fide, nisi verum; ut tamen sit evidenter cre-
dibile, non est necesse quod videatur ejus veritas
sed sufficit quod maxima de ipsa habeatur proba-
bilitas, sive quod verisimilis videatur. Unde di-
ligenter observandum est, aliud esse quod aliqua
propositio sit vera, aliud quod sit credibilis: ve-
ritas enim sumitur ex connexionе subjecti & præ-
dicati; credibilitas autem à testimonio extrinseco
dicentis, seu testificantis, & ab aliis signis & mo-
tis extrinsecis, quæ reddunt illam credibilem,
seu dignam cui fides adhibeatur.

Obijciens secundo: Si mysteria nostræ fidei
essent evidenter credibilia, possemus cognosce-
re naturaliter illorum possibilitatem: Sed hoc
dici nequit, ut communiter docent Theologi:
Ergo nec illud. Sequela probatur: Quod judi-
catur esse evidenter credibile: Ergo quod judi-
catur esse evidenter credibile, judicatur evi-
denter non esse impossibile: Sed possibile & non
impossibile æquipollent: ergo quod judicatur non
esse impossibile, judicatur evidenter esse possibile.

Respondeo negando sequelam. Ad cujus pro-
bationem dicendum, hanc consequentiam non
valere: Judicatur evidenter hoc esse credibile:
Ergo evidenter judicatur non esse impossibile,
sed debere inferri: Ergo evidenter judicatur non
apparere impossibile: ut enim aliquid sit credi-
bile, non est necesse ut judicetur non esse in re
impossibile, sed sufficit quod ejus impossibilitas
non appareat.

Obijciens tertio: Illa doctrina non est eviden-
ter credibilis, sed potius incredibilis, quæ non-
nulla continet, quæ Dei majestate prorsus indig-
na apparent, imò & aliqua quæ horrorem maxi-
mum hominibus incutiant: Sed talis est doctrina

fidei nostræ: Ergo tantum abest quod sit eviden-
ter credibilis, quin potius videatur incredibilis.
Major constat: Minor vero probatur. Deum con-
cipi, novem mensibus in utero mulieris portari,
in cunis vagire, esurire, algere, crucifigi, mori
&c. Dei majestate omnino indignum videtur,
& tamen est unum ex præcipuis fidei nostræ dog-
matibus. Deinde horribilius est humanam car-
nem manducare, quam perimere, & humanum
sanguinem potare, quam effundere; & tamen
docet fides nostra Christianos, Deum quem ado-
rant, in carne humana manducare, & ejus san-
guinem bibere: Ergo Religio nostra videtur doc-
cere nonnulla, Dei majestate omnino indigna, &
aliqua horrorem maximum hominibus incutientia.

233.

Respondeo quod licet doctrina illa fidei no-
stræ Dei majestate prorsus indigna videatur, ho-
minibusque horrorem incutere, si non cōsideretur
attentè, dicitur, eoque modo, & cum omnibus
circumstantiis, quibus fides docet mysteria illa
fieri, vel facta esse; secus tamen si consideretur
cum attentione, cum modis & circumstantiis,
quibus fidei nostræ mysteria contigisse vel fieri
proponit Religio nostra: docet enim cum iis cir-
cumstantiis Verbum divinum incarnatum fuisse,
passum, crucifixum, & mortuum, in quibus di-
vina majestas & omnipotentia maxime relucet:
conceptus est liquidem Christus, sed de Spiritu
Sancto; natus, sed ex Virgine; in præsepio reclu-
natus, sed à Regibus adoratus; in cunis vagit, sed
tunc Herodem Regem, totamque Jerosolimam
perterruit; vixit inter homines, sed infinita inter
ipsos patrayit miracula; crucifixus est, sed consti-
tenda eius Majestati sensum (ut verbis magni Leo-
nis utar) Sol obscuratus luminibus, & terra graviter
concussa acceperunt; denique mortuus est, sed vir-
tute propria paulo post resurrexit. Quare egre-
gium fuit D. Margaritæ responsum ad Judicem,
hominis in crucem acti cultum sibi improprian-
tem. Unde scis (inquit) hanc notam Christo missam?
Ex tuorum libri, ait Judex. At quæ cecitas, subdit
Virgo, cum fidem fidei Christi divinitatem & mor-
tem prædicent, fidem abrogare Divinitatem testanti-
bus, & habere crucis ignominiam conferentibus.

Adde mysteria fidei nostræ, eo ipso Dei ma-
jestate maxime esse digna, quod eorum digni-
tas sit ita supra humanam rationem elevata, ut vi-
deatur potius indignitas, si per eam duntaxat
consideretur. Unde pulchre Tertullianus suo
more, in libro de carne Christi adversus Genti-
les: Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit,
salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est
Dei Filius: non pudet, quia pudendum est. Et mor-
tuum est Dei Filius: prorsus credibile est, quia inep-
tum est. Et sepultus resurrexit: certum est, quia
impossibile. Et lib. 2. contra Marcionem ait, Af-
sumpsisse Deum quadam sibi indigna, nobis autem
necessaria, & ideo iam Deo digna, quia nihil tam
Deo dignum, quam salus hominis.

234.

Quantum vero ad Eucharisticam corporis Christi
fidei manducationem, & sanguinis ipsius potatio-
nem, respondet Augustinus serm. de verbis Do-
mini, ut refert Beda in cap. 10. prioris ad Corin-
thios, manducationem corporis Christi, & po-
tationem sanguinis ejus, nullum horrorem incu-
tere, quia manducatur & bibitur sub speciebus
panis & vini, quibus communiter vescimur. Ad-
do manducationem illā Eucharisticam imperfe-
ctionibus quæ sunt in manducatione corporali
carere: liquidem Christus ipse, sive corpus ejus

235.

Gg ij

& san-

Tom. IV.

& sanguis, nullo modo per manducationem & potationem atteritur, alteratur, aut corrumpitur: *Inuitavit seruas* (inquit Augustinus loco citato) & preparavit eis cibum seipsum; quis audeat manducare Dominum suum? & tamen ait, *Qui manducat me, vivet propter me*. Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat: quando manducatur, reficit; sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne forte finiamus eum, & postea quod manducetur non inveniamus: manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus. Adde insuper per manducationem & potationem corpus & sanguinem Christi in substantiam ipsorum sumentium non convertitur, quin imo eos potius, cum sit majoris virtutis, ad se convertere, ut eleganter ostendit idem Augustinus lib. 7. Confessionum cap. 10. ubi loquens in persona Christi, ait: *Cibus ego sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tue, sed tu mutaberis in me*, spiritualiter scilicet; reddit enim Eucharistia homines in affectu Deo simillimos, & veluti Deiformes, juxta illud magni Leonis serm. 15. de Passione: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transcamus*: quod certe valde mirabile est, & maximum divinæ virtutis argumentum. Sed de hoc fusè in Tractatu de Eucharistia.

Disp. I
proo-
anali.

236. Objicies quartò: Si mysteria nostræ fidei essent evidenter credibilia, nemo sanæ mentis posset illa rejicere, & contrarium illis judicare, quòd quidem non videtur quod aliquis possit non assentire ei quod evidenter cognoscit, & judicat esse credibile, seu fide dignum: At hoc est contra experientiam: Ergo mysteria nostræ fidei non sunt evidenter credibilia.

237. Respondeo negando sequelam Majoris: licet enim mysteria nostræ fidei sint evidenter credibilia, multi tamen sunt quibus ea non bene proponuntur, & multi eorum quibus bene proponuntur, non ea bene expendunt, sed intellectum avertunt ab examine, & diligenti eorum consideratione, convertuntque ad alia opposita, victi difficultate quæ occurrit in credendis sigillatim mysteriis particularibus, de se arduis plerumque, & non modò intellectui difficilibus, verum etiam sensui, seu vitæ carnali repugnantibus. Quare metu captivitatis moleste in obsequium fidei, & horrore obligationis ad vitam austeriorem, vel examen refugunt, vel motivorum vim debilitare conantur, atque evidentiam antea sibi notam, & satis apparentem, oppositis ratiunculis obscurare, & intellectum in assensum contrarium tandem inducere; similes illis, qui amorem finis antea expectati abjiciunt, victi horrore difficultatis alicujus medii necessarii. Adde quod in penam peccatorum præcedentium Deus nonnunquam denegat infidelibus auxilia efficacia, quibus intellectus eorum applicetur ad percipiendam evidentiam credibilitatis mysteriorum nostræ fidei, juxta illud 2. ad Corinth. 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi*.

DIGRESSIO

utilis & jucunda.

De præcipuis credibilitatis nostræ fidei argumentis.

DE his fusè & eleganter differunt plures ex SS. Patribus, Tertullianus in Apologetico, & in libro ad Scapulam; Justinus Martyr in utraque Apologia, altera ad Antoninum Pium, altera ad Senatum Romanum; Chrysostomus homilia quod Christus sit Deus; Augustinus libro de utilitate credendi, ad finem libri, libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. lib. 1. de civitate cap. 21. usque ad 23. & lib. 22. a capite 5. usque ad 10. Eusebius toto serè opere de præparatione Evangelica, sicut & altero de demonstratione similiter Evangelica; Arnobius lib. 8. contra Gentes; & Vincencius Lyrinensis in suo communitorio. Inter Recentiores verò elegantissimè & locupletissimè de his scribunt Hieronymus Savanorola lib. 2. de Triumpho Crucis, & in alio libro cui titulus est, *Solatio itineris mei*; Granatenfis in Catechismo parte 2. cap. 3. & sequentibus; Marcellus Ficinus in libro de Religione Christiana; Bosius duobus tomis de signis Ecclesiæ; Ludovicus Vives, quinque libris de veritate fidei Christianæ; Spiritus Roterus, Ordinis Prædicatorum, & plures alii. Ex Scholasticis autem D. Thomas 1. contra Gentes cap. 6. & ibi Ferrariensis; Michael Medina lib. 2. de recta fide in Deum; Bellarminus lib. 4. de Ecclesiâ; Valentia quæst. 1. de fide, puncto 4. quem Turrianus serè descripsit Bartholomæus Medina quæst. 3. introductoria in 3. p. D. Thomæ; & Joannes à S. Thoma tomo 1. in 1. p. tota disp. 1.

Quæ illi fusè, & lato calamo scripserunt, nos brevitate studentes, breviter & succincte exponemus, omniaque credibilitatis nostræ fidei motiva seu argumenta quæ innumera sunt, ad duodecim præcipua reducemus, quæ sunt veluti duodecim stellæ, quibus præfulget mystica illa corona Ecclesiæ, de qua dicitur Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in celo, mulier amicta Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim*.

S. I.

Antiquitas fidei nostræ, primum credibilitatis eius argumentum.

HOc argumentum magni ponderis est, potestque sic breviter proponi. Fides nostra antiquissima est: Ergo mendax & falsa esse non potest. Consequentia legitima est: ut enim egregie discurret Tertullianus in libro de præscriptionibus, cum mendacium sit semper veritate posterius (illud enim verè & formaliter appellatur mendacium, quod à vero jam posito deficit & declinat) si nostra Religio antiquissima sit, & omnem aliam præcedat, necessariò sequitur eam mendacem & falsam esse non posse. Antecedens verò probatur primò: quia fides nostræ ab ipso mundi nascentis exordio fuit primo parenti tradita: ipsum enim in fidei mysteriis fuisse instructum, Deo ipso præceptore, Sap. 10. insinuat, eum dicitur: *Hæc illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodi-*